

sertationem Jurisprudentiæ Naturalis, De Domini Origine. Hinc & cum Eodem hanc controversiam amice discutere volui, ut rationes & momenta juxta opinionem Viri exhibita, pro tenuitate virium mearum enervem, causæque caput in decens eveham æstimum.

§. XIII.

Postquam ergo §. I. Denævæ disciplinæ J. N. strictim differuerat, & §. II. quæ, ad Etymon, Homonymiam & Synonymiam spectant, proposuerat, §. III. *Proponit questionem: Anne omnia, prout Deus res creatas hominibus communiter utendas dedit, in communionem manere potuerint?* omnique debito modo rotocinatur: **QUOD Dominium fuerit introducendum, aut ob ipsarum rerum naturam, aut ob conditionem humani generis;** & proinde varias determinationes thesi suæ apprime convenientes addit, diversumque statum, quo Communio Bonorum locum invenire possit, exposnit; ulterius etiam, quo & quali modo Socialitati per Communionem B. consuli possit? explicat & tandem argumentum primum pro Communionem Bonorum hac forma comparere facit:

Si rerum ipsarum natura communioni non refragatur, tunc neque proprietas, neque dominium firmo stant talo. Sed verum est prius; ergo & posterius.

Prioris vero ratio consistit in hoc. **QUIA tantus sit in omni regione, rerum proventus, ut divinam providentiam accusandi, nihil causæ sit.**

§. XIV.

Non volo (a) & generatim hæc humaniter mone-
re, quod prioris ratio multa adhuc indigeat illustrati-